Matthias

...homae: Synodus lumina-
rium.

S

M

D

D.

M

CR

SYNODVS LVMINARIVM:

CVM

NOBILEM & PVDICAM VIRGINEM

MAGDALENAM

Clarissimi ac Doctissimi Viri,

D. ANDREÆ WOLFOWICZ,

Philos. & Medicin. Doctoris, Filiam.

Clarissimus ac Doctissimus D.

D. MATTHIAS BONIKOWSKI,

Philosoph. & Medicin. Doctor,

ritu solenni, in Sponsam sumeret.

A

M. THOMA CANEVESI Profess. Astron.

Obseruata & expressa.

Anno Domini 1637. 15. Calen: Mar.

CRACOVIÆ, *Typis Matthiæ Andreouień.*

Clarissimo ac Doctissimo Viro,

D. ANDREÆ WOLFOWICZ,

Philosoph. & Medic. Doctori.

M. THOMAS CANEVESI Prof. Astr. S. & F.

LÆTITIAM & mærorem domus tuæ, mea semper existimaui Vir Doctissime; præter enim solidam eruditionem tuam, literarum bonorumque omnium amorem, quibus, meã indolem vniuersam, authoritati tuæ, vehementissimè sentio constrictam; apertum semper ostium, ex humanitate & beneficentiâ incredibili dũ præbes mihi, hanc cordis mei, ad domum, affectũq; tuum, conformas voluntatem. Non nuda hæc, sed plena seriò, atque pio conatu erga te, habeas desidero: Probauit præsens luctus, dum grauiori morbo vexatus Filius tuus, me totum acriter conturbauerat; equidem sæpius spargebam limina tua lacbrimis, & tacito cordis gemitu fatigatus, totam fletuum in domo tuâ congeriem, meo cordi sentiebam impositam. Dolebam scilicet, ne hic vnicus iuuentutis flos, Domus tuæ solatium, successor virtutis, spes toties à te, bonisq; omnibus præconceptas, subitaneâ ruinâ oppressus, præcidisset. Equidem ab illis diebus, ad hodiernam vsque, vix mentem meam ad serenitatem composui,

posui,

posui, idq; nonnisi lætitiâ tuâ vir Doctissime præeunte: Nobilissimam enim Filiam tuam, exemplar pudicitiæ & innocentiæ Virginalis, das viro Clarissimo in Sponsam, ut cognoui: Lætor certè maximè, & prudentiam tuam hoc in negotio miror; non vis scilicet sapientum sanguinem, inter viles & plebeias versari animas, sed ijs eundem largiris, quos præter communia nigris animis, interno bono, cognoscis creuisse. Decernebam hercule sæpius in me ipso, cùm viderem adolescentulam virginem, ætate & omni virtutū honestate florentem, eam pro dignitate, & Patris, & innata nobilitate, non nisi ei tribuendam, quem virtus & sapientia, non mediocriter ornassent; & ecce, quod mea leuis solertia ventilabat, hoc prudentia tua, dum id Clarissimo Domino efflagitanti non negares, compleuit. Consulet non dubito Vir Clarissimus, dignitati Sponsæ tantæ, quam in ornamentum domus suæ, & solatium agnoscit venisse: Filia enim hæc tua, & morum concinnitate, pietate, & debita venustate, facilè inter tot agmina virginum, obtinet principatum. Augere lætitiam domus tuæ hoc metro volui. Synodus est Luminarium, Viri scilicet Clarissimi cùm filia tua Nobilissima, SYNODVS est, in hoc enim arctissimo connubij nexu, & fortunarum & animorum est combinatio, LVMINARIVM dico, neque enim adeò iure debito, stellæ, & ignes cœli, vt Viri docti, & virgines ho-

Virgines honestæ, luminaria appellantur. Intuearis tu sereno vultu metra hæc, ex ijs, meæ in te propensionis submissæ, collige vestigia. iam, si minores Enthusiasmos aduerteris, ita siquidem est; da veniam: accidere enim video, quod exercitatior stylus, non tam bullata verba, quàm exactiorem mentis, inducat explanationem. Vnicum interim sollicitè peto, Vir Doctissime, vt amare hunc non desinas, quem cœpisti, Ego verò beneficiorum tuorum memoriam, non permittam apud me senescere. Viue felicissimè, & Vale.

SYNODVS
LVMINARIVM.

ILlustre carmen ordior, concentui,
Sacramq; nectenti lyræ symphoniam,
Latissimum genus Deorum sanguine,
Turbæ, choriq; Virginum castissimi,
Omnisq; mens mortalium, volo, faue.
Compello vestram ô hospites prudentiam?
Qui diuiti mensæ, beatè accumbitis,
Ornando corde, fertili affectu sacro,
Nuptam nouam, Nuptumq; candidissimum:
Priusnè plausus dexterâ inferam 'mea?
Hanc suauitatem nuptiarum amabilem,
Disseminando per domus atria omnia:
An immorabor laudibus? quæ seruiunt
Prosapiarum origini, sublimior
Hæc permanet, constringitur dum vinculi
Potentioris nexibus: num sidere
Fausto ,apprecabor temporum sequentium,
Gressus secundos? vt fluant benè omnia,
Ne noxium ingrediatur ista limina,

Sed omnis inhabitet lepos, cum gratiis:
Tribuite tali conſilia voto hoſpites.
Erumpit ecce Muſa iam de pectore,
Venamq; mutat carminum eluctantium,
Non parca ſentit mella linguæ, cùm locus,
Et tempus ipſum, cùm virum præſentia,
Illuſtriorem verſuum fluentiam,
Extorquet; incipias peto amplo numine.
Ad vocis huius nobilem melodiam,
Inclinat aurem,, turba lectior hominum,
Fratres, Parentes, ſanguiniſq́; vincula,
Attendit obſequens cohors famulantium,
Et proſperam cunctis negans non gloriam
Adeſſe, non aures ſuas tecta obſerant,
Sed anguli, tricliniaq́; vocem audiunt,
Virtutis altæ, teſtimonium ciens.
Ac ſit licet difficile nimis, ad regulam
Cuiuſq; mentis, applicare proprium
Modum, canendi nominis, tot, tot labri
Audacioris ſunt, quibus ſolatium
Eſt vnicum, cunctos ferire ſcommate,
Inter columbulos, nocentes tot manent

Corui

Corui, coronis inſeruntur viridibus
Flores nigri, miſcentur optimis mala,
Talia dat itidem humana conuerſatio:
Ignara tu tamen omnium iſtorum velut
Muſa calami vis, integerq́; ſpiritus,
Parere cunctis, duc pium, duc plaudere.
Coniunctionem luminum clariſſimam,
Aduerte præcellens ocelle, Cynthia
Phœbo nitenti iungitur, quæ diſſitâ
Succeſſibus retro peractis temporum
In ſede manſit, ſemitam currens ſuam:
Hæc illa fax Viraginum ſeu ſiderum,
Domus per orbem limpido gradiens die,
Splendoribus minutiores lampades
Rorabat excelſis, & ipſo in tramite,
Orbata non radiis ſuis apparuit,
Frontem gerebat cælico pulchram ſatu,
Virtute plena, plena laude ſeria.
Amænitas non tanta mentem recreat,
Telluris hoſpita Luna, poſtquam Cynthium
Velociori itinere conſecuta, init
Connubium, nam ſæpè combinatio hæc,

Æſtate ſeu hyeme accidat, raro caret
Pallente clade, muricati fulminis
Inſtantiâ, perturbat orbis ordinem,
Viuentium conſtringit animas frigoris
Rigore, nunc nimboſa deſuper mala,
Terræ incolis, furore promptiore dat,
Commotione nunc parum exoptabili,
Nubem dolorum luctuoſam fabricat:
Aſt hæc perennis Cynthiæ connexio,
Cum Sole lucido, augurat felicia
Ventura quæuis Patribus, nepotibus,
Et concatenato ordini incedentium.
Coniunctione hac, ſternitur fatis via
Clementioribus, aſperum nil turbidum,
Luctus procul proculq; Næniæ effluunt,
Non ira, non albus timor, ńon vanitas,
Contecta toties pallio ſcientiæ,
Vultuq; formato ad piam modeſtiam;
Doloſa nec fraudum parens ſolertia,
Palpationum non patens dulcedine,
Nihilq́ue, lixa criminum de ſqualido,
Gerit locum, vel poſſidendi ſpem fouet,
Nigredi-

Nigredine sua, quæ licet modica, tamen
Dat luminum conspectui fuliginem.
O par beatum? siderum præstans iubar?
Insigne vinclum claritatis inclitæ?
Formose Sol? venusta Luna? tu magis
Equidem serenas cornibus cælestibus,
Hæc sæpè vultum liuidis fædant genis,
Nunc clara fulgent, nunc tenebris obsita,
Nunc subtrahunt omnem facis præsentiam,
Totumq́; lumen siderum à fonte hauriunt.
Resplendeas ac tu licet Solis tui
Iam luce, diues es tamen monilibus,
Coniecit in te, quæ genus, quæ gloria,
Quæ docta virtus, actionum comitas,
Quæ gratiarum confluentia rarior.
Sic est; vir eruditione candidá
Præclare, MATTHIA BONIKOWSKI, decus,
Ornamen amplum, stemmatum nidi tui:
Magni parentis filia est, tua Cynthia,
Filia boni Parentis est, cuì omnia,
Vastissimo quæ cingit orbis ambitu,
Dans limitem, ne diffluat rarum genus,

 Sensu

Senſu tenere perſpicaci plurimùm,
Eſt liberaliore Diuorum manu
Datum, nihilq́; cernet ingenium inuidum,
Pollentiæ quod rariori deroget,
Plus ſordido quàm candido conamine:
Cæleſtis aulæ cardines cognoſcere,
Anguſtiores lampadum vertigines,
Diuerſitate curſuum quæ peruaga,
Patere neſciunt homuncionibus,
Naniſq́; mente extra modum mortalibus.
Iam grande pelagus regiæ ſcientiæ
Tranaſſe, non eſt huic nouum, toto procul
Periculo, cruciante rebus inhabiles
Animas, ocellus ſplendidus, Pater tuus,
Medici Senatus; quem videtur bellulè,
Finxiſſe Naturæ poteſtas, inuicem
Collecta, ſæuientis vt ferocias
Morbi, domaret irritis non ſuaſibus:
Hic vnicus ſplendor chori ſanantium,
Medulla Principum hac in Arte nobili,
Ab exterorum quam reduxit moribus,
Sumptum, labores, ad ferendum non negans.

Non mon-

Non montium periculosi vertices,
Brumâ rigente heu horridi, non fluminum
Vitam in breui custodientium assere,
(Quâ suauius nil dulcius terris inest)
Profunditates, quæ velut sunt guttura,
Vitale stamen haurientia pessimè,
Queìs vita poterat longiores ad dies
Extendi, honoris cùm segete maxima:
Vt gloriæ, vt daret futuro nomini
Principia, sunt conata mentem auertere.
Exceptus illic quàm bonis amplexibus
Illustrium fuit virûm, qui siderum
Oenotriæ luxere ad instar, angulos
Per orbis omnes, (circuit quos lampade
Sol aureâ, lucem euibrans tot gentibus)
Sat affatim spargendo pulchram gloriam:
Silebo mare ne vastius, gracile metrum
Notare tentet, at tamen commemoro te,
Si Musa pulueres Sophorum suscitat
THOMA MINADOE, Medicorum docta lux;
Persæ grauem Monomachiam cùm Turcico
Qui hausisti ocellis milite, & nunc posteris

Legenda gentibus dedisti facinora,
Digna osculis, complexibus bellantium:
Qua familiaritate, queîs fauoribus,
Virum virorum germen excelsissimum,
Exosculatus es; bonum semper boni
Laudant, amant; stultus gregi stulto adiacet;
Perpetua lex mortalium cordi hæc inest.
LAVRENTIVS PIGNORIVS, ci intimus erat;
Insignis antiquarius non obuius:
Qui læta tempe iam incolit lautissimè,
Quodcunq; pectori lubet habens ad manum;
Expectat hic doctos voluptatum hortulus,
Post funerum lessos feretraq; pallida.
Regalis eius mens probè cognouerat,
Iam niuibus ætatis vetustæ candicans,
Integritatem, & forte robur ingeniî,
Normamq; iudicij applicantem sua suis;
Ætatibus dum tot malo vaticinio
Falsò vocatam inscriptionem TVLLII,
Industriâ decreuit alta, LIVIO
Hocce tribuendum marmor esse, cum fide.
Vrnæ Sophorum, parcite mihi, dum pio

Lætoq;

Lætoq; veſtrum nomen immiſceo ſono,
Nam vos adeſſe nuptijs præſentibus,
Nullus vocat ſub ancipem ſententiam,
Qui ſpiritus veſtros mori non, percipit,
Æternitatis pabulo ſed perfrui,
Delicia amœnitatis inter optima.
FABRICIVS, Anatomici theatri conditor,
Illuſtris ille flos virûm, titulum quibus
Medicæ parat ſolertiæ, ſublimitas,
Librorum abundâ fertilis farragine,
Quos mente concipiens ſuâ, quos indole
Premendo doctâ, poſtmodum luci dedit,
Hunc Lechiæ pulchrum iubar cecinit fore,
Prouinciarum hunc vrbium ſolatium,
Profundioris arbitrum ſapientiæ,
Quę magis onuſto in corde, quàm linguâ manet.
Iam Principum prudentiorum pectora,
Virtute quantùm pertrahat celeberrimâ;
Eius ruunt omnes in amplexus boni,
Quos purior ſcientiarum deſuper
Afflauit aura, quæritant prudentiam
Tanti viri, quæ ſæpè mæſtis, morbidis,

 Dat &

Dat & dedit vitam omnibus chariſſimam.
Sic eſt, vir eruditione candida
Præclare, MATTHIA BONIKOWSKI, decus,
Ornamen, altum ſtemmatum nidi tui:
Magni Parentis filia eſt, tua Cynthia,
Boni Parentis filia eſt, quæ gloriâ
Velut ſua nitet Parentis optimi,
Domeſtico radio ſatis luminis habens,
Augenda nunc tuis item ſplendoribus.
O quanta lucis nunc volitat amænitas,
Augetur ignis, ignium præſentiâ,
Lumenq́; mole luminum fit grandius,
Et vnionum clarior ſtrues manet.
Cæli fauete, omnes globi, mundi rotæ,
Quos, vel quietis iuſta pigrities nutrit,
Vel pulchra circulatio greſſus vagi,
Fauentiam tribuite recto vinculo,
Nuptæ nouæ, ſponſoq́; candidiſſimo:
Io, cohorticulæ meæ mortalium,
Terræ incolentes circulum latiſſimè,
Quas Parca non dum immiſit atrio nigro,
Lanuginem vitæ amputans, falce rabidâ;

Plauſus

Plauſus nouate dexteris pulſantibus,
Non vſitatis gaudijs cantus date,
Omnes habenas riſuum diffundite,
Nunc nablijs trementibus dulci ſono,
Nunc voce fidium dulciter ſtrepentium,
Nunc fiſtulis, chordiſq; garrientibus,
Solatij accumulate montem maximum.
Sit plena lampadum domus noctis die,
Aurora, littorum relinquens limina,
Mundoq; protrahens diem, nos ſoſpites,
Nos curſitantes videat orbico itinere:
Quiſquis dolore ſtringeris non paruulo,
Ad tempus informem retrude lachrymam,
Cantum, iocos, plauſuſq; crebros intona,
Nil mente mæſtum, pectoreq; nil turbidum
Geſta, futurorum ordinem fato offeras,
Humana conſultatio, non enecat
Decreta fati, ſit licet ſolidiſſima;
Stultus manebis, nec vigorem ſtirpitùs
Fati auferes, ſapientis eſt præſentibus
Vti, procul languore quouis anxio.
En miſſa fronte Virginis formoſitas,

Quot-

Quotquot videmus, adſumus, nos excitat
Ad iubilum læto canendum carmine:
HÆC Virgo, gemma Virginum, purus lepos,
Dulcedo, ſuccus ſuauitatis ipſius,
Hæc corculum innocens, animulaq́; lepida,
Columba ſimplex, felle non malo ferox,
Hæc gratiarum riuulus profundior,
Sexuſq́; ſi cadit per Angeli genus,
(Verbum vt mihi nouum liceat effingere)
Hæc Virgo quid, nonné eſt venuſta Angellula?
Frons marmore eius limpido limpidior eſt,
Conſtantiæ grauis refert imaginem,
Rugoſa non, anguſta nec furoribus,
Eburneis naſus creatus oſſibus,
Laſciuientem non notans petulantiam,
Lumina adamantæis repleta radiolis,
Huc, huc, & illuc, euibrant ignem ſuum,
Pupilla velut eſt aureus globulus ei,
Latentis animi nuncius certiſſimus;
Labella florentia corallij æmula;
Totus genarum circuitus amabilis,
Perfuſus albo lacte, cum rubentibus

Roſis,

Roſis, tripudium eſt vnicum, viuax decor,
Aurum, venuſtas, gratiola carior,
Cunctoq; corporis habitu gerit Deam.
Interna iam ornamenta, ſi mens noſcere eſt,
Nuptæ nouæ puellulæ, Sponſo ſuo,
In eius ore candor elegit locum,
Verbis notando hæc proprijs, quæ cor iubet,
Non nuper affectu creatus impetus,
Viuere datum mulierculis quo pluribus;
Eduxit hanc de mulierum turba leui,
Virtutis amor, exercitatioq; arduæ,
Conatibus maius quod eſt perennibus;
Qua claret excellentia modeſtiæ,
Concinnitate geſtuum venuſtula,
Agnellus innocens velut greſſum regit,
Seu curſitat, ſeu paſſibus lentis, pedem
Producit, eſt iucunditatis formula:
Fueritné toto tempore vrbe in Principe,
Mortalium ſelectiorum nidulo,
Potiſſimo Poloniæ Regum throno,
Contexit hanc ſcientiam modeſtia:
Studioſa curioſitatis non fuit,

 Autho-

Authoritati Virginis, mortem infimam
Dantis, benigna eſt, mitis & placabilis,
Penarium perfectionis fertile:
Deuotionem feruidam corde tenuit,
Eccleſiarum obambulatio facit
Non vana quam, mage ocioſis capitibus,
Quam ſeriò attentis honori altiſſimi,
Congrua, DEI ſed charitas, quà proximi,
Extenditur per ampliores alucos,
In pectoris gurgite tamen reconditos.
O temporum præſentium fucum grauem!
Diuinitatis forma, virtus optima,
Cadauer eſt, colore pictum lucido,
Intus ferarum & anguium pleniſſimum,
Turbâ, putaſné hominem innocentē? mala cuî
Liuore fæda, aut macritate flebili,
At ille totus inuida pallet anima,
Vſtuſq; flammis igneæ iræ cernitur:
Illum ne ſanctum exiſtimas? ſerena cuî
Frons, & iocus poſt labilia labia volat,
Præſentis at neglector ille miſeriæ;
Nam, ſæpius neglectio cæli, iocum

Imponit

Imponit ori, conſcientia quàm bona:
Is forſan innocentiæ cultor ſacer,
Authoritatem qui ſtatus, cultè nimis
Tuetur, altam ſolitudinem gerens:
Inflatus vter hic vanitate flaccida;
Authoritas, eſt, publicis negotijs
Tribuenda, priuatim alter ego ſis omnibus:
Togata vel bullata pluma quid tumes?
Idem Pater nonné omnium cælis ineſt.
Pictura cunctos recreat, ſunt Zeuxidæ,
Nati Polyclæti, genus mortalium,
Quod quercubus craſſis, Deorum imaginem
Imponit, & colorat aureo lutum
Nitore, veſtes format, aſt pectus, animum,
In fæce priſtina ſinit quieſcere.
Hæc ſegregata Virgo numero à talium,
Non vmbra fictorum placuit aliquando ei,
Mendacibus veſtita non virtutibus,
Sed quas boni conatus illuſtris parat,
Et poſſidendæ gloriæ ſuſpirium.
Sed vnde tantus labili in ſexu vigor?
Salſugo flumen à mari inficit fluens,

Parentibus sic à malis, proles mala:
A fonte dulci, profluunt dulces aquæ,
Parentibus sic à bonis proles bona:
Ab arbore cadit non procul fructus suus,
Non noctua generat Aquilam, sed noctuam,
Leo Leonem, est omnibus ius hoc datum.
Docta educatio Parentis optimi,
Fecunditatis huius auxit cópiam;
Natura, semper in piis, crescit pia,
Sed redditur venustior, piaq́; magis,
Fulmenta dum institutionis accipit.
O tecta WOLFOWICZ domus? non asperam
Experta fortunam, Pater Sapiens, Bonus,
Omniq́; felle vacuus, Illustris Vir est,
Vnoq́; verbo vt exprimam, celsus Pater,
Quem nomen altum, gloriæ serenitas,
Virûmq́; magnorum fauor, quem gratia
Tot Principum, nunquam dabunt, nunquã mori
MATER, beata luce Sponsi proprij
Benigna, prudens, & pudica, nobilis,
Custos bonorum, recta, iusta, prouida,
In quà, nil est virtute quod non splendeat:

Cum Fi-

Cùm Filios & Filiam, ſtellas domus
Aduerto. cuncti, iam volant ad nomina,
Calcant Parentis Filij veſtigium,
Artes honeſtas, tædium ſcholaſticum;
Exornat alter Lauream, factis bonis,
Parcendo non charæ ſaluti, & quod magis
De Patris accipit manu, iam iam facem:
Alter recenti ſemitâ, Fratris ſui,
Incedit omne perferens quod lex iubet,
Hanc non tabella continet, ſed ipſa mens,
Ad omne rectum, ad omne honeſtũ ſe excitans:
Nec Filiæ, pudoris omnis arculæ,
Splendor ſuus, fulgens abeſt præſtantia,
Matris decentis arduum amplectitur iter,
Sed nobile ſatis, eſt Parens Clariſſimi
Conſors viri, Clariſſimi dum Filia
Fit Sponſa, nonné Matris æmula permanet?
Felicitate maximâ radiat domus,
Eſt gaudiorum non inops ſolennium,
Incedit illo proſperè gnatus die,
Greſſumq; rectum hoc filia facit tempore,
Quo non aberrant à via Matris, Patris.

 Talis

Talis piè placauit altaria DEI,
Mensisq; superum, supplici dedit genu
Cultum, cui tantæ domus affinitas
Conceditur, fraternitas cuî stemmatum:
E cœtibus multis virûm, tu es vnicus,
Fili Patris clarissimi, clarissime,
Præclare BONIKOWSKI, chori sanantium
Pars præcipua, felicitatis es satur:
Hæc vita, luctus est, socius adsit nisi,
Qui temperet rerum fluentes impetus,
Mæroris vmbras conterat flammas necet,
Quas ira sæpè suscitat, feruentior:
En obtines ad dexteram Nuptam nouam,
Hæc socia vitæ est, hæc amica iam tuæ,
Hæc dissipabit ingruens quoduis malum,
Concessa Patris inclyti affectu integro,
Ditare qui te munere voluit suo,
Cernens virum, tam prole dignum nobili;
Te laudat ætas, vita laudat optima,
Scientiæ maturitas non crebrior,
Optanda multis, danda paucioribus:
Tu candidus, iustus, pius, rectiq; amans,

Dignus Parentis tanti amicus dicier,
Et Filius; beata ſidera te regant,
Sol, Lvna, turbaq́; lampadum denſiſſimá,
Fulgentiores induant vultus precor,
Et augeant placidis volando curſibus,
Opimitatem limini grandem tuo:
Onuſta ſint abundè atria tua frugibus,
Vberq́; pulchrum alimoniæ, accreſcat tibi,
Æſtate, Vere, frigidoq́, dum Ioue
Mundus tremit, tu fertilis abundantiæ,
Sinum repoſtum ſentias, tuo in lare:
Crudelis indigentiæ ſis neſcius,
Illuſtris ignorantia eſt talis homini,
Et expetenda precibus ardentiſsimis.
Quidcunq; dulce, & proſperum orbis ſomniat,
In hoc fugaci tranſitu vitæ breuis,
Aût ad gerendum gloriæ altum verticem,
Multorum amor, quem ſubleuat de puluere,
Redditq́; culmen ſiderum pulſari eo:
Aût ſubleuandam ſtemmatum decentiam,
Protenſio quam ſanguinis dat maximam;
Vel ad creandum nomini ſidus recens;

Fulgore

Fulgore quod non oritur auri, ſed graui,
Laboris & moleſtiæ tolerantiâ:
Hæc cuncta, ſint non aduenæ, ſed incolæ
Penatibus tuis fauentes vnicè,
Te manibus ambiant ſuis, Virtus, Honor,
Sis clarus, inſignis, vola per tot plagas,
Septemtrio quot frigidus polo aſpicit.
Et quod mage optandũ tibi eſt, vtinam, vtinam,
Imaginem tui relinquas poſteris,
Agnoſce vitem fertilem, Sponſam ſuam,
Quæ filijs & filiabus optimis,
Florentibus menſas coronet floſculis,
Fructus nouellos germinet, prolem bonam,
Quam Muſa noſtra, verſibus rurſum nouis,
Excipiet, ac auguria ponet, qualia,
Cæli rotatus ſuggeret certiſsimus.

D. O. M.

Virgini & Matri caſtiſsimæ,
vniuerſæ cælorum Curiæ,
GLORIA, & GRATIA.